

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Erasmio Ebnero S.D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

mens plena smaragdino nitore, & crux rutilans auro. Leges amicis doctori Iona & D. Chiliano, s̄ adhuc adsunt: & dices eis, me literas ipsorum, his quibus inscriptæ fuerunt, per homines, quorum fides mihi probata fuit, misisse. In Epiphanijs, Anno 1547.

Optimo uiro D. Guilhelmo Reif-
fenstein S. D.

Academia nostra dedit pecuniam huic D. N. Li
centiatio Iuris: & addidit mandata, ut soluat uobis totam summam, quam pro poculis dedistis. Nescie-
bamus enim, quali empta erant. Rogamus autem, ne uobis molestum sit, quod pro auro mittimus Ioa-
chimicos. Intelleximus enim, uos Francofordiæ de auro soluisse. Sed auri tantum nō habebat hoc tem-
pore nostrum ærariū. Verū sic petimus uos Ioa-
chimicos accipere, ut sine uestro damno fiat. Ego me ipsum sperabam uenturū esse Lipsiam: sed sum hic obligatus, propter editionem Apologiæ. Rogo igitur ut paucissimis uerbis rescribatur, et precium poculorum significetis, & si quid præterea ad rem pertineat. Bene uale.

Erasmo Ebnero S. D.

Dedi has ad te literas nullam aliam ob causam, nisi ut te ad scribendum prouocarem. hoc igitur ge-
nere

Ex cod. Hamb. N. 1547.

J. Ricarto.

nere officij ostendas, quanti me facias. Neq; uerò at-
 bitror magnopere opus esse, postquam a me disce-
 dis, de mea erga te beneuolentia disputare, teq;
 hortari ad nostram amicitiam colendam. Nam &
 sensum meum, si quis est alius, calles: & illæ literæ,
 ad quas nos tibi iter ostendimus, officij te tui sem-
 per admonebunt, si earum studium non abieceris.
 Ego autem & prudentiæ laudem tibi tribuo, ut di-
 gnitatem honestarū artium intelligere te statuum:
 & constantia præditum tanta existimo, ut confi-
 dam te hæc studia nunquam depositurum esse. Illud
 unum nunc peto, ut dum hærebis domi, in Græcis
 literis te exerceas: quam ad rem tibi multum pro-
 dedit Ioachimi familiaritas: & uertèdis Græcis fiet
 etiã oratio Latina suauior. Discedes dedi tibi man-
 datum de Linijs lectione, quod uelim tibi curæ esse.
 Bene uale, & rescribe. Coburgi.

Christophoro Haco S. D.

Non facile dixerim, quantū me studiū, mi Haco,
 teneat eorum, qui cum literis pietatem coniunxe-
 runt. Quid enim, per Deum immortalem, in rebus
 humanis est quod rectius mireris, quàm hæc quæ di-
 co? *ἡθρολογία* sunt reliqua omnia quæ boni appel-
 tionem merentur: sola literæ, sola pietas, extra com-
 munium rerum aleam sunt. Quo tu mihi charior
 semper fuisti, qui cōtigis ingenij ijs literis aptum,